

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



1765.

1. *
De Kormanis: Rhapsodia quaestionum in foro
quodlibet obvenientium, neque tamen legibus decisa-
sarium. Collect. 2. Programma, quo memoriam
Kormanianam . . . indicunt.
2. *
Boruis: Rhapsodia quaestionum in foro quod-
libet obvenientium, neque tamen legibus decisa-
sarium. Collectio VI. Programma, quo ordinarius
senior ceterique fac. jur. assessores memo-
riam Boruisianam indicunt.
3. *
Silvesteri: Rhapsodia quaestionum in foro
quodlibet obvenientium, neque tamen legi-
bus decisarum. Coll. 3. Programma, quo . . .
triam facultatum decani et reliqui assessores
memoriam Silvesterianam indicunt.
4. *
Apelius, Honoris Fidei, Innocentius: Pro-
gramma, quo seniori reliquique doctores fac.
jur. hps. summos in jure honores . . . Hen-
rico Fiderio Innocentio Apelio curatos indicunt.

1765*

5. Apel, Hermann Frider. Innocentius: Super legis-
catione Imperatoris Romanorum Augusti. 13
6. Bauerus, Hur. Gorpers: De alienatione gera-
dae feminae minoris. 14
7. Bauerus, Hur. Gorpers: Brevis commentatio
super lege, in ambiguis etc. 96 d. d. r. j. 15
8. Breuning, Christianus Hur: De tutore aut
curatore filii familiae impuberis vel minoris 16
9. Breuning, Christianus Hur: De iudice jurisprae-
dentiae ignaro iusto atque legitimo. 17
10. Breuning, Christianus Hur: De sponsalibus durante
matrimonio contractis. 18
11. Breuning, Christianus Hur: De causis caedentis
jurisprudentiae post tempora Alexandri Severi.
12. Breuning, Christianus Hur: De sponso domino
dotis a sponsa solutae.

1765

13. Breuning, Christianus Mus: In quaesita testa-
menti inofficiosi locum habeat contra teste-
m in ^{tra} patris, in quo filias naturalis
heres institutus.
14. Breuning, Christianus Mus: De furto rei lumen
antea amissae.
15. Breuning, Christianus Mus: De injuria per
veritatem illata
16. Heinsius, Godofredus, 1774. *Philos. ex Deamus: De
eclipsi solis 1. April 1764* Topine observata.
Bogarna, quo ad Terzen orationem memoriae
Heinsianae, Revolutionis ab Sigfridiano sacra
Iam invitat
17. Harold, Christianus Michael: De legatis nuptiarum
caussa relictis
18. Hommel, Carolus Ferdinandus: *Rhapsodia
quaestionum in fons justitiae obvenientium, neque
tam legibus Teviserum. Collectio 7. Programma, quo
solenni doctoralia Anti Augusti Helgumanni indicit.*

1765.

19. Hommelius, Carolus Ferdinandus: Principis curals. 1765
leges. Can
20. Hommelius, Carolus Ferdinandus: Rhapsodia quæstio
num in foro quotidie absentium neque tamen legit So
decisarum. Collectio IV. err
21. Hommelius, Carolus Ferdinandus: De habitate
testium in causa civili. Do
22. Hommelius, Carolus Ferdinandus: An dominus feo
dum contra testium perpetratae valide remittat
asiam 7
23. Hommelius, Carolus Ferdinandus: Rhapsodia quæstio
num in foro quotidie absentium neque tamen
legibus decisarum. Collectio 5. C
24. Klauing, Antonius Augustus: Controversie recentior
inter pontificem Romanum et republicam Venetiam
super legato in Coricam nostro historia, orationi et
premissa. 8. A

1765

1. Thunberg, Christianus Wilhelmus; fac. jur. praesent.

Causa: Remissionem juratae specificationis cum
socii cautela conjunctam cautionem inutilem
esse, demonstrat. Programm, quo salubra
doctoralia . . . Joannis Friderici Voigtlis in-
dicit.

2. Platnerus, Joh. Goltz: Super dominiis civitatis
in finibus saxonis natura

3. Paellmannus, Joannes Ludovicus Gruertler: De judicio
Curiae. Programm, quo ad audiendam ora-
tionem sollemnem invitatur.

4. Rivinus, Augustus Florentinus; fac. jur. praesent. cella
viva: Programm, quo summas in jure hono-
res et ius in Herminio Stammelio indicat.



1765, 4.9.

ORDINARIVS
SENIOR RELIQUIQUE DOCTORES
FACVLTATIS IVRIDICAE LIPSIENSIS
SYMMOS IN IVRE HONORES

CVM SPE SVO TEMPORE
LOCVM IN FACVLTATE
OBTINENDI

CANDIDATO PRAESTANTISSIMO
HENRICO FRIDERICO INNOCENTIO
A P E L I O

BORN A - MISNICO

DIE VIII. MENSIS OCTOBRIS MDCCLXV.

COLLATOS

INDICVNT.

*de iuris iuris patronatus apud
protestantes limitibus.*



29.

ON DISSENTIUM
 SENON RESPONDENTUM DOCTORUM
 FACULTATIS MEDICINAE ACADEMIAE AMBURGENSIS
 SVMMOS INTER HONORES
 CONGRATULATIONEM
 LOCUM INTER FACULTATEM
 CANDIDATUM TRANSACTUM
 HENRICHUM FREDERICUM INNOCENTIUM
 ARTHURUM
 BONNA-MUNDUM
 DIE VIIIE MENSIS OCTOBRIS MDCXXV
 FACULTATIS
 INDICIA

Ich erkläre hiermit
 die Richtigkeit der
 obigen Angaben.





DE
IVSTIS IVRIS PATRONATVS APVD
PROTESTANTES LIMITIBVS.



Dici ferme vix potest, quanta haecenus, patronos inter, et eos, quibus iurisdictionem exercere ecclesiasticam, ac iura, quae dicunt, episcopalia habere contingit, agitatae sint lites et controuersae, de iustis et legitimis iuris circa sacra, et *Patronatus* limitibus. Multi enim ecclesiarum patroni, nescio quo fundamento, sibi arrogant iura ea, quae ad Principem, et quae eundem repraesentant, Consistoria, Superintendentesque ecclesiarum iure pertinere leges faciunt. Operae itaque pretium facturum nos esse existimamus, ea iura, quae Principi iure optimo competunt, a patronis vero iniuste vsurpantur, paucis recensere.

Et primo quidem, vt de *Liturgia*, exordiamur. Noto notius est ius reformandi eam ad ius sacrorum spectare, adeo, vt ne quidem Consistoria facultatem habeant, de ea semel praescripta vel latum vnguem discedendi, sed inunctum eis sit, illam saluam factamque conseruandi, et

IIII

lites desuper ortas, ita, vt ceremoniae semel introductae retineantur, decidendi. Quomodo itaque excusari possunt conatus ecclesiarum quorundam patronorum, qui mutationem Liturgiae sibi procaci ausu attribuerent, et semel praescriptum ordinem in ecclesia parui pendere ac abrogare non dubitant? Fallunt itaque atque falluntur ii, qui ipsum sacrorum ordinem, modum et tempus legibus ipsis iam constitutum, quo sacra peragenda sunt, subuertunt, mutant, perturbant, vel nouum praecipunt. Infringunt iura Principis, qui hymnos principiis suae religionis minus conformes decantare prohibent; vel cantus, quos rustici, epulis nuptialibus finitis, Deo O. M. gratias agendi gratia, canere solent, interdunt, aut tuba et tympanis strepitum eis faciunt; Iuris sui Patronatus limites transcendunt, qui conchas, quae ante templi atria poni solent, tollunt, ne indigentia pauperum subleuetur; qui ordinem in confitendis peccatis haecenus vsitatum, malo impetu turbant et prohibent. Immemores in primis sunt ii patroni homagii, quod praestiterunt, si non erubescant, vel in precibus ex cathedra sacra praelegendis publicis, ipsum Principis nomen, suum substituunt, interdunt, vel preces publicas, quae feriis modo solemnibus, modo repentinis, recitari in templis solent, conficere, vel dies quibus solemniter et publico ritu peccata in Deum admissa profitemur, et remissionem eorum a summo numine petimus, ac ieiunia agimus, ex suo arbitratu instituere; vel Rescripta istorum dierum celebrandorum causa impetrata, Consistoriis, a quibus ea insinuata sunt, remittere. Horum in numerum et referendi sunt ii, qui dies festos, quos vocant, repentinos, ex suo, quis credat! ingenio indicunt, Ordinationibusque ecclesiasticis saluberrimis morem gerere detrectant, luctum publicum Principi debere negant, et sibi potius
et

et suae familiae illum competere asserunt. Quae cum ita sint, neuiquam nouas parochias condere; ius reformandi; synodos et visitationes ecclesiasticas instituere, aeraria viduarum publica confirmare possunt patroni. Et quis eis attribuet ius clericos examinandi, ordinandi, instituendi, vel ab officio remouendi? Id certe est extra dubium, quod proprium sibi Superintendentem constituere, in causis ecclesiasticis et scholasticis disponere, in gradibus nuptiarum lege humana prohibitis, in copulationibus, proclamationibus, poenitentia ecclesiastica, dispensare nequeant. Explodendi sunt illi merito patroni, qui se suorum pastorum et ludimoderatorum magistratus, et in omni causa ecclesiastica iudices esse; sibi-que facultatem competere, eos, qui iuri suo non obtemperant, ab omni officio sacro depellendi, gloriantur; vel clericis suae ecclesiae praepositis, ne iudices superiores agnoscant Superintendentes et Consistoria a Principe constituta, iniungunt, ac, vt pacto se ad id seruandum obligent, adigunt.

Transeo nunc ad ea iura, quae Iuris Canonici DDres, *iurisdictionis episcopalis, et Consistoriorum*, Protestantibus esse distant. Sat temerarium scilicet est, quando patroni cognitionem et decisionem in causis matrimonialibus sibi sumunt, si tribunalia ecclesiastica inferiora instituunt, vbi clerici, quasi in foro competente, ius suum accipiant, si de salariis clericorum cognoscant, ea diuidant, modo augeant, modo minuunt. Nec tolerandi ii, qui pupillis clericorum tutores constituunt, obfignant et diuidunt eorum hereditates, inuentaria faciunt sine praescitu Superintendentis, qui poenitentiam personis ecclesiasticam in causa matrimoniali imponunt, impostamque in honorem matrimonii vel plane tollunt, vel saltem mitigant. Sane quis patronis tribuet ius suggestum

VI

stum ad concionem pirasticam et chorum, vt sacrarum literarum Candidati periculum, quid humeri valeant, quid ferre recusent, faciant, insciente Superintendente aperiendi? parochos, nullo antea habito ad populum sermone, instituendi; prohibendi, ne votum, quod dicunt, negatium colligant Superintendentes; ipsis potius rogandi parochianos; vel directorium omne in his sacris concionibus sibi tribuendi; confirmandi et inuestiendi ad munus sacrum vocatos clericos; conuocandi, mortuo pastore, vicinos pastores, Superintendente inscio, vt sacrum interim in ecclesia munus expediant. Absit, vt patroni habeant facultatem, aedificia sacra et parochialia, non rogato Consistorio, aedificandi et reparandi, ecclesias vel sumptus reparationis ex aerario sumendi; non impetrato Superintendentis consensu, visitandi; Superintendentes a rationibus ecclesiasticis excludendi, diem, quo haberi cae debeant, eis praescribendi, sibi prius, quam Superintendenti, vt ad inspiciendum transmittantur, vrgendi, directorium et praecedentiam prae Superintendentibus arrogandi; cognoscendi de sepultura eorum, qui sibi malitiose manus intulerunt; vel aliis in causis clericorum personalibus decidendi; vel inquisitionem specialem in eorum delictis instituendi.

Nec destituti sunt patroni variis rationibus, quibus opinionem suam erroneam superstruere allaborant, si quaestio status eis a Consistoriis vel Superintendentibus mouetur. Primo ad antiquam et priscam *consuetudinem* prouocant, et *actus* satis multos, quibus Legem Dioecesanam et iurisdictionem ecclesiasticam exercuerint, allegant. Allegant autem frustra, cum mirifice suo amore decipiantur.

Impia sub dulci melle venena latent: OVID.
Deinde lepide satis philosophantur potentiores in primis ecclesiae patroni, si, vt sese iurisdictioni ecclesiasticae subtrahant,

trahant, et a Lege Dioecesana eximant, excipiunt, se in *gradu* quodam *excellentiori* et *sublimiori* ius habere patronatus, ita, vt hoc ius eligendi clericos, aequae ac vocandi eosdem et confirmandi complectatur; omnemque praeterea iurisdictionem in omnes pastores scholaeque ministros contineat. Sed profecto quotquot euoluere licuit iuris patronatus scriptores, altum de hoc gradu pleniori competente iure patronatus deprehendimus silentium, adeoque ad entia, quae rationalia philosophi dicere amant, referendum erit. Nam si ipsas euoluamus leges Iuris Canonici, *cap. 1. de iure patronatus in 6to*, continet ius patronatus, saltem ius et vocandi clericos, et praesentandi eosdem ad officium in ecclesia vel schola obeundum, et percipiendi inde quosdam honores, non exclusis tamen quibusdam oneribus, in perceptorum compensationem honorum, ferendis. Cum autem iurisdictione omnimoda in clericos, et ius eos confirmandi huc non referatur, per se patet, ius illud sublime, vt vocant, patronatus, ius fictitium prorsus esse statuendum. Cui accedit, quod laicis omnis in clericos, *cap. 10. X. de iure patr.* denegetur iurisdictione. Quis itaque dicet, eam ecclesiarum patronis, quos aequae laicos esse constat, competere? Nec porro stringit illud argumentum, quando asserunt, se *vulgare et regium* habere ius patronatus. Nam *regium*, quod dicunt, ius patronatus, defensionem ecclesiae, quae vi armorum denique finitur, continet. Iam vero, nonne omnis armorum vis in solius potestate Principis constituta est, adeoque vnice Principi adscribendum est ius hoc regium patronatus, in primis, cum patrocinium nullam inuoluat iurisdictionem.

Nemo satis credit tantum delinquere, quantum

Permittas: adeo indulgent sibi latius ipsi. i v v.

Affe-

VIII

Afferunt porro patroni, se iura episcopalia, quae
 exercent, iam pridem, ab *immemorabili tempore prae-*
scripsisse, atque ea quiete, per continuum temporis spa-
 tium possedisse. Sed vana et irrita prorsus sunt haec ar-
 gumenta, cum enim ipsi ecclesiarum collatores fateantur,
 non solum titulum, sed et actus possessionis, vna cum
 immemorabili tempore docendum esse ab iis, qui in rega-
 lium possessione sese esse gloriantur; hi vero nec titulum
 edere iustum, nec allegare legitimos possessionis actus,
 nec immemorabile satis tempus docere possint; omne pro-
 fecto hoc argumentum irritum est, et per se cadit. Nec
 mouere nos potest editio tituli possessionis, quam ex ver-
 bis in literis *inuestiturae* contentis: *Beleihen wir euch mit*
geistlichen und weltlichen Rechten, Gerichten, obrist und
niedrigst; vel *mit allen Rechten und Gerechtigkeiten,*
geistl. und weltl. Gerichten, extorquent, omnemque ibi,
 et sacram et ciuilem concedi iurisdictionem sibi persua-
 dent. Verum enim vero haec verba neutiquam conti-
 nent titulum possessionis, quem editum arbitrantur pa-
 troni in exercendis regalibus istis iuribus ecclesiasticis.
 Cum enim *mit geistl. und weltlichen Gerichten*, inuestian-
 tur, nulla alia iis profecto iura exercenda dantur, quam
 ea, quae Vasallo, *ex utroque iure*, Ciuili aequae ac Cano-
 nico, competunt. Quod enim ad verbum *Gerichten*,
 attinet, illud non ad verba *antecedentia*; mit geistl. und
 weltl. Gerichten, sed verba potius *sequentia*: *Obrist und*
niedrigst, referendum esse vnice putamus. Dabimus
 iam sententiae nostrae rationes. Nimirum docent antiqui-
 tatum monumenta et Documenta hinc inde obuia, quod
feudum olim *presbyteriale* fuerit ius patronatus, dictum
ein Pfarrlehn; hinc verba: *mit geistl. und weltl.*
Rechten, nequaquam *iurisdictionem* notabant ecclesiasti-
 cam, sed innuebant potius *privilegia*, quae Gerechtig-
 keiten,

keiten, geistl. Gerechtfame, appellamus, qualia Decimae feudo inhaerentes erant, ius precum, sepulturae et alia. Cum autem feudum sit ius patronatus, verba vero: mit *geistl. und weltl. Rechten*, denotent priuilegia, voxque statim sequens: *Gerichten*, alias prorsus comprehendat notiones; sane inde recte colligimus, verba: mit *geistl. und weltl. Rechten*, suo et singulari commate absolui, et diuersa prorsus esse a verbis: *Gerichten*, obrist und niedrigst, quae et suum rursus et peculiare constituunt comma, et alias prorsus et diuersas a priori commate continent notiones. Tacemus, quod dici non possit, verba: *geistliche Gerichte*, *iurisdictionem* indicare ecclesiasticam, quia haec nunquam in Germanico sermone vocata sit *geistliche Gerichte*, sed *Ehegerichte*, teste IVST. GEORG. SCHOTTELIO, *von der teutschen Hauptsprache*, p. 501. et in latina lingua appellata sit ecclesiasticum *Consistorium*, *forum ecclesiasticum*, vti patet ex Scriptoribus rerum Germanicarum ad ann. 1351. 1419. ap. MENCKEN *S. R. G. T.* 1490. 1563. Et quis nescit, in antiquis inuestiturae literis lingua latina conceptis, et ante Lutheri iam tempora exaratis, verba *geistliche Gerichte*, inueniri? Quis vero ignorat, Principem secularem iurisdictionem nemini concedere potuisse ecclesiasticam; cum ea, ex iure ecclesiastico, personis saltem ecclesiasticis competat, et quidem Principibus, puta Pontifici, Episcopo, Capitulo sede vacante, et Archidiacono. Cum igitur in Principis politici inuestiturae literis verba: *geistliche Gerichte*, inueniamus, si autem iurisdictionem aliis concedere non potuerint ecclesiasticam: sane per ea verba, nullo modo iurisdictione notari ecclesiastica potest, quomodo ergo secularis Princeps in alium transferre ecclesiasticam potuit iurisdictionem, si ea non fuerit gauisus? Et quamuis hodie Principes Protestantes eam habeant, tamen eae inuestiturarum literae, posterioribus datae temporibus, ex primis expli-

X

candae literis sunt, in prioribus vero literis inuestiturarum, seculares Principes Vasallis iurisdictionem ecclesiasticam non concesserunt, dum hac facultate non fuerint gauisi. Sane, nisi disertis verbis in posterioribus inuestiturarum literis facta mutatio sit, semper istas interpretemur necesse est, secundum primas inuestiturarum literas, ita scilicet, vt ecclesiastica iurisdictione concessa haud censeatur.

Vrgent vltcrius ad iura sua defendenda ecclesiarum patroni *actus possessorios* in vocationibus et confirmationibus ministrorum ecclesiasticorum, inque causis ecclesiasticis pertractatis, exercitos. Sed si et hos consideremus, nullo eos iuris fundamento niti, statim animaduertimus.

*Omnia peruersae poterunt corrumpere mentes,
Stant tamen illa suis omnia tuta locis.* OVID.

Nam plerumque requisita possessionis quietae hic exulant. Vel enim notitia Principi, aut eius Consistorio, de tali actu possessionis facta est, vel nihil ad eius scientiam peruenit, priori casu datis inhibitionibus actibus istis contradixit, posteriori actus illi putandi sunt clandestini, ex quibus iusta acquiri possessio nullo modo poterit, siquidem actus, cum contradictione alterius suscepti, non attenduntur, sed pro turbatione habentur, vt taceamus praescriptionis tempus ex eo demum die capere initium, quo in contradictorio, vt aiunt, vna pars victoriam obtinuit, id quod tempus vero raro a patronis allegari poterit, quia plerumque deficit.

Et ita quoque res sese habet cum tempore *immemoriali*, in quo plerumque patroni pro suis stabiliendis iuribus praesidium collocant, asserentes, ne quidem titulum ad immemorialis praescriptionis probationem requiri, sed praeterlapsum temporis spatium, intra quod nullius in contrarium suscepti actus extat memoria, loco tituli legitime constituti habendum, eiusque auctoritatis esse, ac ipsum privilegium concessum, cum initium praesupponat, et patientia

tia

tia per tot annorum decursum loco consensus habeatur. Verum enim vero tantum abest, vt talis contra publicam susceptus legem actus, iustam alicui praescriptionem aut possessionem tribuere possit, immemorale licet tempus praeterierit; vt potius iuris ita regula formanda sit; nemini ex patronis iurisdictio concessa est ecclesiastica. Quare si quis ex iis eam habeat, exceptionem a iuris communis regula, eiusque mutilationem allegat, adeoque contra publicum legis rigorem immunitatem hanc occupasse praesumitur. Talis autem iniusta occupatio, et contra legem publicam suscepta actio, nemini ius quoddam et possessionem attribuere potest, licet vel immemoralis accesserit praescriptio. Quomodo enim talis exemptio et immunitas a iurisdictione ordinaria initium capere poterit, cum ab ipso facto eius, qui se liberare conatur, non a Superiore, qui immunitatem alias concedere posset, dependeat. Accedit, quod exemptio ab episcopali iurisdictione ex ipsis Iuris Canonici principiis, *c. 7. 8. X. de relig. dom.* non praesumatur. Quare cum Principes Protestantes Episcoporum locum occupauerint, nec praesumi exemptio poterit a iurisdictione eorum, qualem patroni sibi fingunt. Sed et aliae adsunt plures rationes, ex quibus intelligi poterit, praescriptionem iurisdictionis ecclesiasticae non procedere contra Principem eiusque Consistoria. Nempe satis constat, res meri arbitrii et merae facultatis, quia in voluntate saltem adhuc consistunt, nec adhuc existunt, adeoque possideri nequeunt, praescribi non posse, nisi ab uno facta prohibitio sit, et alterius patientia, quae per triginta annorum spatium durauit, accesserit, et sic ius quoddam effecit, quod negatum dicunt. Quare cum facile constet, iurisdictionis exercitium ecclesiasticae merae omnino esse facultatis, Consistorii nempe intuitu, inde prono fluit aluco, nec iurisdictionem praescribi posse ecclesiasticam, a patrono per solum

XII

vsus, et patientiam a parte Consistorii, quia saltem ius affirmatiuum ita acquiritur; sed quia ius negatiuum est, non exercitium iuris sacrorum, in fundo quodam Principis territorio subiecto, requiritur, vt Consistorium in pago cuiusdam nobilis, talem actum explicare voluerit, is autem nobilis huic iurisdictionis explicandae contradixerit actui, et Consistorium postea per immemoriale tempus acquieuerit. Iam vero cum nobiles et ecclesiarum patroni tantummodo iura sua in possessione ecclesiasticae iurisdictionis nitantur, nec allegare possint actus, quibus contradicentes impediuerint, ne Consistorium actus quosdam iurisdictionis ecclesiasticae, in pago nobilis explicare tentans, eos expediuerit, et tunc per immemoriale tempus tacuerit, atque ita ius quoddam sibi acquisiuerit negatiuum, omnino inde sequitur, nec allegatam ab ecclesiarum patronis praescriptionem recte se habere immemorabilem. Potius cum ex iis, in medium quae protulimus, pateat, patronos immiscentes se in iurisdictionem ecclesiasticam, in alienam sese temere immiscuisse messem, atque ita πολυπραγμοσύνης rei habendi sint, qua officia turbantur publica, et confusa discordiarum semina excitantur, et haec erit ratio, cur nec prouocare ad immemorabilem possint modo dicti patroni, in primis, cum iurisdictionis ecclesiasticae natura ita comparata sit, vt ne quidem possideri a priuatis possit hominibus. Hinc si eam isti possident, facile poterit perspicui, illam illegitimo plane modo esse acquisitam, qui nullo vnquam tempore firmum et stabile ius possessoribus tribuere nequit, licet primi actus possessorii initium, eiusque memoria nullius hominis memoriae inhaereat. Tandem nullo modo, nos quidem intelligimus, qua ratione immemoralis praescriptio, deficiente in primis titulo, contra regalia iura, et ius praesertim Dioecesanum, quod Statibus Imperii Protestantibus vnice in *Instr. Pac. Westph. Art. V. §. 48.* tributum est et

vin-

vindicatum, allegari possit, cum iustus titulus, si contra ipsam possessoris personam ipsa militat iuris praesumptio, vel Ius Commune ei contrarium est, requiratur; Regalia vero, quorsum et iurisdictio ecclesiastica spectat, a priuatis, si iuris spectes regulam, tanquam res extra commercium priuatorum existentes, possideri nequeant, adeoque si patroni partes quasdam iurisdictionis ecclesiasticae haecenus possederint, vt priuilegia possederint, quae tamen, cum ab alterius dependent gratia et beneplacito, praescriptioni non sunt obnoxia.

Obi. Fallax aequae ac praescriptio est argumentum quarrum, quod in *consuetudine et obseruantia*, quae nullum iustum titulum, vt praescriptio, postulat, ponunt patroni. Quicquid enim dicant, statim vires suas amittit, si confideremus, consuetudinem quidem contra priuatum subditum, nullo modo vero contra Principem ipsum allegari posse, siquidem consuetudo vim legis habet, leges vero obstringunt subditos, neutiquam vero Principem obligant. Nec nos in contrarias partes mouere potest, quod specialis consuetudo, quatenus ius singulare quibusdam personis tribuit, cum priuilegio pari passu ambulet. Nam quis nescit, nec priuilegia, quae in damnum Reipublicae tendunt, valere, et sub-et obreptitiae consecuta esse censerit?

Instant praeterea alii, ingenio suo indulgentes patroni, nec *imperium*, seu ipsas iuris maiestatis partes, quales sunt leges ferendi ecclesiasticas, et alias sibi vindicare velle; sed *iurisditionem* tantummodo sibi competere asserunt, quam ad legum vigorem publicarum sese exercere dicunt, putantes, nec intercedere iurisdictioni ecclesiasticae discrimen, cum ea, quam secularem appellant, et hinc colligunt, omnino Principem posse iurisditionem Vasallis concedere ecclesiasticam, sicut et Vasallis secularem tribuit. Verum enim vero cum omnis eo redeat quaestio; vtrum

XIII

exercitii iurisdictionis ecclesiasticae capaces sint nobiles, an vero minus? nos quidem neuiquam negamus, Principem dare talem iurisdictionem posse nobilibus, si ipsi ita placeat; at cum iis talem disertis verbis non concefferit, nec illi eandem sua propria autoritate sibi arrogare possunt, eamque ex praescriptionis iure, quam tacitam inuoluere concessionem arbitrantur, petere. Nec illud quadrat argumentum, ubi a seculari iurisdictione concludere ad ecclesiasticam non dubitant. Nam ingens inter vtramque intercedit discrimen; secularis iurisdictione ex prisca dominorum in seruos potestate suam originem trahit, et noui tantum iurisdictionis, quam dicunt, patrimonialis schemate induta est. Quare cum feudorum possessoribus talis a Principe concedatur, ea potius, quasi iam competens illis relinquatur per inuestituram. Longe aliter autem cum ecclesiastica iurisdictione res sese habet. Haec enim cum nunquam feudorum competierit possessoribus, sed ad Episcopos potius pertinuerit, et sancta pace Westphalica, Protestantes Principes sibi iure optimo, vt partem Superioritatis Territorialis, vindicarint, profecto inde sequitur, patronos, cum nunquam eam habuerint, nec Superioritate Territoriali, vt subditi, capaces sint, nullo iure sibi asserere posse, nisi pactis cum Principe initis talem iurisdictionem ecclesiasticam sibi acquisuerint.

Et quid multa? Satis est, si ea, quae iam supra diximus, iterum repetamus, ecclesiasticam nempe iurisdictionem, cum Principibus in Westphalica pace relictam et pars Superioritatis, quam vocant, Territorialis sit facta, nullo modo a priuatis personis posse praescribi, dum in eos ius illud Superioritatis Territorialis non cadat.

Sic nec tolerari nobilium potest argumentum, quando iurisdictionem tantum ecclesiasticam, non ipsum vero imperium sibi arrogare contendunt. Nam sane quos actus
sub

sub pallio iurisdictionis expedire conantur, ad ipsum summum ius circa sacra, solis relictum Principibus, spectat. Est enim ius circa sacra ea potestas, qua ecclesia, instar collegii, dirigitur, inspicitur et curatur, ne externa reipublicae tranquillitas turbetur. At enim vero si spectes ministrorum ad munus in ecclesia gerendum vocatorum confirmationem, et in eos iurisdictionem, nonne ad ipsum circa sacra ius spectant? Concedamus quidem, ius Candidatis aperiendi suggestum, quod vocant, et chorum, ad summum episcopale ius non esse referendum. At cum Principis sit officium curare, ne ordo in Republica semel receptus turbetur, et modo allegatum ius originetenus ad Principem spectet. Principis enim potestas in sacris comprehendit ordinem talem conferuandi, et omnem in Republica abusum omni adhibita diligentia remouendi. Quantum ad ius examinandi sacri Candidatos muneris, eosque ordinandi attinet, hoc vnice ad Principem spectat, qui in eo curam collocare debet omnem, vt iusti sacrarum literarum Doctores ecclesiae praeficiantur. Facile esset, idem de reliquis, quos ecclesiarum patroni sub iurisdictionis nomine sibi vindicant, actibus, asserere.

Sed cum illi potissimum, qui catholicorum additi sacris sunt patroni, *anno iam*, quem vocant, *decretorio*, in talium iurium possessione constitutos sese fuisse gloriantur, quid de hac sentiendum sit sententia, videamus. Et si hanc consideremus, ineptam plane hanc sententiam esse deprehendimus.

Nec tibi regnandi veniat tam diua cupido.

Ipsam enim si euoluimus *Pacis Westphalicae Instrumentum, Art. V. §. 3. 9. 12.* statim perspiciamus, decretorium, quem allegant annum, certam tantum constituere normam, si de *bonorum possessione ecclesiasticorum*, et ipso *religionis*
exer-

XVI

exercitio quaestionem mouemus; neuiquam vero ad *iura episcopalia* et *iurisdictionis* ecclesiasticae pertinere. Dum omne ius Dioecesanum in terris protestantium suspensum, et ipsis Protestantium Principibus, ad quos iure pertinuit, relictum sit. *Instr. Pac. Art. V. §. 48.* Quare, etiamsi aliquis ex catholicis ecclesiarum patronis, in ipso anno decretorio, in possessione exercitii iurisdictionis ecclesiasticae, in ditionibus Statuum Augustanae Confessioni addictorum fuerit, is tamen nullo modo clericum religioni Protestantium addictum, et in horum terris habitantem, confirmare, et sic iurisdictionem ecclesiasticam exercere poterit, sed ius saltem exigendi *reditus, census* et *decimas* habet. *Instr. Pac. Art. V. §. 16.* Ipsum enim iurisdictionis exercitium ecclesiasticae, in Protestantes Principes translatum est.

Sed non immoramur diutius defendendae sententiae, cuius aperta veritas est. Potius iustissimis excitati rationibus, dabimus consilia, vt Princeps iura sua, sibi contra omne ius fasque ab eiusmodi legum publicarum euerforibus erepta, omni adhibito studio vindicet, nec permitrat, vt sua diutius abutantur patientia. Atque hoc quidem eo melius procedere, et rectius fieri poterit, si actus, qui iurisdictionem ecclesiasticam, puta visitationem, poenitentiam ecclesiasticam, rationum redditionem, dispensationem in gradibus matrimonii prohibitis, denegationem salarii clericorum, aliaque concernunt, saepius et repetitis vicibus in ea parochia, quae obedientiae gloriam recusat, expediendos iubeat, et sedulo caueat, vt ne contraria rursus obseruantia, clandestinis adhibitis consiliis, in illa ecclesia introducantur. Nam

*Vidi ego, quod fuerat primo sanabile vulnus,
Dilatatum longe damna tulisse morae.*

Tan-

XVII

Tantum Iura Patronorum vsurpata pro temporis angustia et ratione praesentis occasionis, summo digito attingere libuit. Notificanda enim sunt *Solemnia Doctoralia*, quorum causa hunc libellum scripsimus. Scilicet natus est

CANDIDATVS PRAENOBILISSIMVS

HENR. FRIDERICVS INNOCENTIVS
A P E L

Bornae d. XI. Octobris MDCCXXXII. parentibus IOHANNE DAVIDE APEL, et ELEONORA SOPHIA CRAZENSTEIN, quorum nomina, ob eorum probitatem vitaeque integritatem, ipsi semper erunt carissima. Laudat in primis eorum dexteritatem, curam et operam, quam in se educando et instituendo impenderunt. Annum agens decimum tertium in Scholam Thomanam, quae Lipsiae floret, receptus, per sex, et quod excurrit, annos eius disciplina et beneficiis vsus est; quo tempore multum se a B. ANDREA DIEZIO, negotiatore quondam Lipsiensi, adiutum et subleuatum esse, grata mente recordatur. In primis autem IOHANNIS AVGVSTI ERNESTII, maxima in se merita et beneficia gratissimo refert animo, cui plurima prorsus se debere vel ideo profitetur, quia eius disciplina, institutione et consiliis vti frui ipsi contigerit. Anno MDCCCLII. in Academiam hanc nostram se contulit, Magistratum gerente IOH. CHRIST. HEBENSTREITIO; Praeceptorem iuris Ciuilis et historiae iuris eligens, nunc pie defunctum, BACCHIVM, cuius exercitationibus differendi, publicisque praelectionibus sedulo interfuit, Feudalisque iuris scientiam comparare sibi laborans praelectionibus publicis HOMME-

C

LII,

XVIII

LII, frequens quoque fuit in priuatis FRANCKII et IOH. GODOFR. MASCOVII scholis, quem vltimum etiam ius naturae et publicum docentem audiuit. Praecepta iuris Criminalis a B. HOMMELIO, ius Cambiale, modumque procedendi, in iudiciis a B. SIEGELIO, historiam Statuum Europae, et imperii Romani Germanici eiusque Ius publicum a BOEHMIO percepit. Cumque literarum elegantiorum studium suauē ac dulce existimaret, adfuit summa industria ERNESTIO, antiquitates Romanas et Aristophanis Nubes priuatim, Salustium autem et Ciceronem de officiis publice explicanti, magnaque cum voluptate arripuit, quae GELLERTVS de litteris scribendis; de Poësi et de moribus tradebat. Contigit ei felicitas, vt per triennium fere comes et socius studiorum esset FRID. AVG. MARCHIO, nunc iuris vtriusque Doctore, sibi quae amicissimo, laudatque in primis *Domus LANGIANAE* beneficia in se collata. Deinde Dresdam profectus, per quadriennium et semestre FERBERI quondam Consilarii Aulici regii, cuius memoria sancta semper et religiosa manebit, filios iuniores in literis humanioribus instruxit. Nec minori pietate colit magna nomina LINDEMANNI atque FERBERI, Patronorum suorum maxime venerandorum. Electus quoque est ad institutionem RVDOLPHI DE BÜNAV, Consilarii incimi filii. Postremo per anni spatium FRIDERICVM CHRISTIANVM SIEGERTVM, iuuenem eximiae indolis, optimaque spei, viam virtutis et honestatis, nec non literas elegantiores docuit, quem, cum vberimos iam institutionis suae fructus perciperet, tristi fato sibi ereptum, per totam vitam lugebit.

Antequam ius primos in iure honores consequendi obtineret, publice de *Laudemii Exactione*, Praefide WILCKIO, disseruit, deinde Lectionem pro Candidatura, vt aiunt,

XVIII

aiunt, habuit, et *Capit. IV. significasti X. de Elect. et Elector. potest*: nec non *L. un. C. de officio Procons. et Leg. publice explicuit*, quo facto Baccalaureus in Iure haud ita pridem renunciatus est. Postea Lectiones pro Licentia, quas vocant, ad *Cap. VII. Cum in Cunctis X. de Elect. et Elect. potest.* et ad *L. 2. C. de rescind. emt. et vend.* publice instituit. Superato examine rigoroso, Lectionibusque pro gradu Doctoris obrinendis finitis, Disputationem inauguralem de *Legislatione Imperatoris Romanorum Augusti* publice proprio Marte ac sine Praefide defendit.

Quibus peractis eruditionis speciminibus, Candidatum hunc nostrum, Diplomate solemnī, gradum non solum *Doctoris Iuris Vtriusque*, et privilegii huic dignitati in toto Imperio Romano Germanico inhaerentibus, hoc ipso die exornamus, sed et spem sessionis et voti in Facultate nostra, attribuimus, idque in huius rei meliorem fidem ac memoriam actis nostri Collegii inscribendum curauimus. Deditur Lipsiae die XII. Octobris
CICDCCCLXV.

L I P S I A E,

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



ULB Halle
005 423 643

3



SB

7 felder







1765, 4.9.

ORDINARIUS
SENIOR RELIQUIQUE DOCTORES
FACVLTATIS IVRIDICAE LIPSIENSIS
SYMMOS IN IVRE HONORES

CVM SPE SVO TEMPORE
LOCVM IN FACVLTATE
OBTINENDI
CANDIDATO PRAESTANTISSIMO
HENRICO FRIDERICO INNOCENTIO
A P E L I O

BORNA-MISNICO
DIE VIII. MENSIS OCTOBRIS MDCCLXV.
COLLATOS

INDICVNT.

*de iuris iuris patronatus apud
protestantes limitibus.*

